DE
TYPHO GASTRICO

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS IN ALMA REGIA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

UT SUMMOS

IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA HONORES

RITE ADIPISCATUR

DIE XXVIII. MENSIS IULII A. MDCCCXLV.

UNA CUM THESIBUS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HENERIC. IOSEPH. SCHÜTH

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS

SCHNEIDER, STUD. MED.
GARMS, CAND. MED.
NITSCH, CAND. MED.

BONNAE,

LITTERIS F. P. LECHNERI.

MDCCCXLV.

Die Enstehung der Krankheit ist eine Zeugung im Leben, die Krankheit selbst ein Leben im Leben, das sich durch Wachen und Schlafen — Exacerbation — Remission oder Intermission kund gibt, und das Erlöschen der Krankheit ein Absterben im Leben.

F. Jahn's Ahnungen einer allgemeinen Naturgeschichte der Krankheiten.

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS, PIA MENTE

VENERANDIS

IN

PUBLICUM ATQUE PERENNE

PIETATIS GRATIQUE ANIMI

TESTIMONIUM

FILIUS

FRATRI

SUAVISSIMO AD CINERES USQUE COLENDO

IOH. SCHÜTH

PROPTER

CARITATEM FRATERNAM

IN

PERPETUUM SEMPITERNUMQUE

AMORIS DOCUMENTUM

FRATER

NEC NON

VIRO

REVERENDISSIMO, ILLUSTRISSIMO

IOH. SALMEN

PAROCHO HEGENSDORFIENSI

AMICO

BENIGNISSIMO, DILECTISSIMO

AC

VIRO

HONORATISSIMO, HUMANISSIMO

M. GÖDDE

MERCATORI BÜRENSI

AFFINI ET AMICO

AESTIMATISSIMO, CARISSIMO

IN

AMICITIAE AMORISQUE

TESTIMONIUM

AMICUS

HASCE

IUVENILES LITTERARUM PRIMITIAS

QUALESCUNQUE

SACRAS ESSE VULT.

De genere typhi.

Vocabulum τῦφος, id est vapor, apud antiquissimos Graecorum scriptores iam invenitur. Hippocrates [1]) typhi vocabulo statum morbosum cum sensuum obnebulatione et torpore coniunctum significavit. Postea a medicis Galenum sequentibus diversissimae morbi species sub notione »malignitatis« comprehensae sunt, ad quas quoque typhus, sed tam incertis significationibus adnumeratus est praesertim a systematicis septimi decimi et octavi decimi saeculi, ut nihil inutilius esset et aerumnosius enumeratione harum omnium. Vox typhi a Sauvages [2]) ad designandum peculiare febrium genus inducitur, et huius vocis notioni alia atque hucusque regnans hippocratica vis tribuitur. Et commemorat quidem Sauvages, typhum quem ipse vocat, febrem nervosam ab Anglis vocari.

---

1) *ΕΠΙΔΗΜΙΩΝ* lib. IV. (ed. Kühn) vol. III. p. 516. 517 541.

2) Nosologia meth. Amstelod. 1768. L. I. p. 311.

Postea plures medici usum vocis typhi ita constituerunt, ut omnes febres asthenicas, quin etiam asthenicum morbi characterem ipsum eo designari vellent. Recentiori tempore vocabulum typhus sinificat aut solum typhum bellicum, petechialem ut apud de Hildenbrandt, Hartmann et alios, aut febrem nervosam arctiori sensu et contagiosam et non contagiosam, aut ad designandam febrem nervosam contagiosam tantum adhibetur, quamquam adhuc multi sunt, qui omnes febres astheuicas typhum appellent. Quae confusio notionum asthenicum, nervosum, typhosum medicinae attulit multum incommodi, ut profecto clariores cum his verbis notiones coniungere necessarium videatur. Notio typhus generatim ita optime mihi videtur statuenda: typhus est ille status morbosus febrilis, quo processus vitalis perturbatio tale assecuta est fastigium, ut excretiones organicae conditiones, vitae propriae gignendae, accipiant, contagii nempe gignendi, quod in homines dispositione praeditos translatum, in ipsis aequalem statum morbosum efficit. Febris vasorum, febris nervosa, putrida, typhosa sunt schemata cardinalia processus febrilis, quae censenda sunt in progressione eiusdem. Typhus duplicem capit originem aut oritur ex progressione febrium et febris quidem nervosae ac putridae varietatem ex his febribus accipiens et hoc modo finem extremum in formatione febrium ostendit, quarum initium in sy-

nocho nobis occurrit, aut ex contagio se propagante originem ducit. Eandem sententiam confirmant Reil, Hartmann.

Quod mihi autem imprimis memorabile videtur, quodque usu extra dubitationem est positum, illud est, typhi contagium tantum generatim designari posse, quum, varias tamen modificationes eum habere, observationibus medicorum comprobatis manifeste convincatur.

Tot species diversae inveniuntur, quot diatheses diversae. Ad confirmandam sententiam, typhum diversas species complecti, typhus puerperalis tantum commemoratus sit, quo contagio in puerperis solum opportura efficitur dispositio, nisi hoc contagium aliis contagiis contaminatum est, quod observationes medicorum clarissimorum testantur.

Communia ac propria generi typho sunt haec: 1) facultas contagii evolvendi, quacum coniunctus est decursus definitus. 2) Decursus per certum temporis spatium. 3) Inclinatio ad statum toxicationis systematis nervorum, similem illi statui, quem narcotica gignunt. Qua ex re perturbationes sensorii, typhomania, impotentia cogitationum seriem continuandi, illusiones, suppressa motio et perceptio psychica atque corporea etc. 4) Diathesis morbosa sanguinis, quae ad statum dissolutionis formandum inclinat. Ex qua procreantur varia symptomata, in his pigmenti formatio, petechiae, miliaria, sanguinis

profluxus, excretiones foetidae, meteorismus, accumulatio sanguinis in systemate venarum etc.

De typho gastrico.

Typhus gastricus est status febrilus ille, qui ex diataesi gastrica exortus talem gradum assequitur et cum tanta laesione vitalitatis organicae coniunctus est, ut contagium in organismo procreetur, quod aliis hominibus dispositione praeditis illatum eundem morbum producit.

Hic morbus nominibus maxime diversis appellatur, quae omnia pro diversis de morbo opinionibus exorta sunt. Egregie dicunt Roederer et Vagler tractantes morbum mucosum p. 2. (ed. paris.): »tanta vero unius eiusdemque morbi interdum est varietas, ut vel sagacissimus observator aegre ex tanta diversitatum multitudine sese expediat.« Quid mirum igitur, morbum hunc nominibus diversis appellatum fuisse? Synonymiae typhi gastrici, quarum nulla vox neque notioni propositae plane respondet, neque ab omnibus eodem sensu intelligitur, sunt: febris gastrico-nervosa (veterum); febris mucoso-epidemica; typhus abdominalis, Ileotyphus (Eisenmann, von Pommer, Balling), typhus entericus (Hufeland); typhus

gangliosus (Schoenlein); erysipelas intestini (Stiebel); enterohelkosis (Clarus); febris entero-meseraica (Petit et Serres); typhus ulcerosus intestinalis; Dothierteritis (Bretonneau); Astenopyra (Swediauer), et alia.

Multi auctores hunc morbum pro novo habuerunt praesertim nostro tempore, ubi cadaverum sectionibus multum huic morbo lumen allatum est.

Antiquissimis iam temporibus medici Graeci, Romani, Arabici ut Hippocrates, Aretaeus, Celsus, Galenus, Colius Aurelianus, Al. Trallianus, Aetius, Avicenna intestinorum ulcera commemoraverunt et sine dubio morbus noster iis notus fuit, quamquam eius natura et indoles non funditus cognita erat [1]). Postea multi celeberrimorum medicorum, talia ulcera esse, negarunt, quo factum est, ut veterum illa opinio oblivioni sit tradita. Loca inflammata et ulcerosa postremo saeculo cognita habuerunt Morgagni [2]), Stoll [3]), Roderer [4]) et Vagler. Ex operibus medicorum Roederer, Stoll, Sarcone, Grant nostram morbum eis notum fuisse perspicitur, etsi gradationes diversae non satis separatae sunt. Genius morborum illius

---

1) Die Entzündung und Verschwärung der Schleimhaut des Darmkanals Berl. 1830

2) De sed. et caus. morb. Ep. 31, 2.

3) Rat. med. VII. p. 124, 180, 200, 201, 230.

4) L. C.

temporis erat mutabilis, quo factum est, ut observationes medicorum constitutionem regnantem spectantes descriptiones veterum auctorum negligerentur. Nostro tempore demum, quum constitutio gastrica iterum regnare inciperet, veterum quoque merita ex ignominia restituta sunt et postquam a medico Broussais[1]) primum causa proxima febrium in membranae mucosae inflammatione posita est, hac sententia commoti medici rem accuratius perscrutati sunt. Prae omnibus membranae mucosae aliarumque partium conditionem in hoc morbo subtilius indagarunt et descripserunt: v. Pommer, Bretonneau, Gendrin, Bilard, Luis, Andral, Chomel, Cruveilhier, Abercrombie, Neuman, Puchelt, Albers, Schoenlein, Rokitansky et alii.

Sicuti diversae notiones de typho sunt, ita de typho gastrico, quamobrem nonulli hodie medicorum aut omnes febres gastricas asthenicas, aut febres gastricas nervosas, plurimi eas tantum, quae cum inflammatione tunicae mucosae praesertim folliculosa coniunctae sunt, typhum gastricum nominant. Si vero in natura nulli certi fines in progressione febrium asthenicarum generatim et gastricarum singulariter nobis occurrunt, significationem typhum mitioribus formis non solum non aptam, sed etiam saepe obnoxiam

---

1) Vorles. über d. gast. Entzündg. übersetzt von Fleck Rudolst. 1829.

et iure typhum gastricum ab his distinguendum esse censeo; praesertim quum modificationes diathesis gastricae proprias usque ad typhum progredientes in diversis gradationibus cognoscere et persequi possumus. Occasionis memoriam bene revoco, qua aestumatissimus praeceptor Berndt praeter formam contagiosam mitiores morbi gradus nobis proposuit et observationi commendavit.

Porro si cogitamus, morbum primarie contagio provocari posse, ut ex observationibus ill. Berndt[1]) et aliorum clarissimorum medicorum ut Gendrin[2]), Bretonneau[3]) plane constat, ipseque in pluribus commilitonibus praxin in clinico Gryphico exercentibus observavi, neque ignoramus, eum in decursu per certa temporis spatia symptomatibus typho generatim propriis supra dictis excellere, haec sententia magis etiam valet.

Contagium typi gastrici rarissime aut fere nunquam assequitur malignitatis gradum ut contagium typhi sic dicti contagiosi, bellici, quod ex miasmate materiarum animalium excretarum dissolutarumque provocatum est. Typhus gastricus aut e febribus

---

1) Entzündungen Band II. S. 732. Derselbe klinische Mittheilungen Heft IV. S. 27.

2) Gendrin, Journal des connaiss. med. chirurg. Mars, Avril, Juni et Sept. 1834.

3) Bretonneau: Notice sur la contag. de la dothienterite, lué à l'academie roy de med. Arch. gener. I. XXI. Aaût. et Sept. 1829.

gastricis, diathesi gastrica exortis, praecipue cum inflammatione membranae mncosae tractus alimentarii conexis progreditur, aut originem ducit ex contagio.

Descriptio morbi.

Tria discernerda sunt stadia: 1) stadium gastricum, 2) stadium nervosum, 3) stadium typhosum. Quae singula stadia plerumque septem dies perdurant.

Stadium primum. Symptomata, quae in hoc morbi stadio nonnisi sensim sese manifestare solent, fere haec sunt: facies aegroti proprie se habet, ita ut medicus peritus morbum praestantem saepe antea suspicatur. Physiognomia est gastrica, facies mutata, pulliginosa, livida; vultus languidi quiddam refert; buccae sunt saepe rubefactae, incessus ignavus; labiaque, si aegroti loquuntur, tremulant. Contractilitas musculorum deminuta, quamobrem aegrotus in situ supino fere immobilis maxima ex parte commoratur. Si surgere coactus est, vertigine corripitur, ita ut non diu pedibus insistere possit. Ex quibus phaenomenis apparet, vires maxime esse prostratas. Omnes aegroti queruntur de dolore capitis satis vehemente, de angore in praecordiis, tinnitu aurium et obscuratione oculorum. Somnus est inquietus alternans cum somnolentia, anxia et pervigilio, in quo

pavor aegrotos cruciat. Praeterea queruntur de horripilationibus et de calore alternante. Pulsus initio minus frequens, regularis, immo tardior et ut videtur plenusque, sed facile comprimendus; interdum etiam irritatus, frequens, duriusculus. Sub vesperam apparet exacerbatio. Sudorem mox sequitur sicca et calida cutis, sub manu tamen premente humida redditur. Urina est modo limpida, modo colarata, modo iumentosa. Alvi obstructio plerumque praevalet, rarius ab initio diarrhoea apparet. Faeces foetide olent. Appetentia ciborum nulla, saepe taedium, nausea, vomituritiones; sitis non semper aegrotos vexat, potum tamen frigidum acidulumque saepe concupiscunt. Symptomata gastrica secundum qualitatem inter se differentia, modo sunt bilioso, modo pituitoso, modo nullo certo charactere qualitativo. Os siccum, salivae minor copia secernitur tenacitatem quandam praestans, quae propter hoc glutinosa et viscosa apparet et digito non nisi aegre a lingua et dentibus detergi potest. Lingua generatim in marginibus rubra, cuius medium et radix muco albo aut flavo obtecta; quodsi ita est, aegroti de sapore amaro queri solent. Saepe inveniuntur cavitas oris et fauces rubrae interdum cum pseudomembrana obtectae; aegroti tum queruntur quoque de ardore in his partibus. Abdomen iam hoc stadio maxima ex parte excavatum, raro aëre intestinali paululum inflatum, quod percussione abdominis facile explorari potest,

et si manus abdomini imprimitur borborygmi sentiuntur. Dolores saepe per totum abdomen propagantur aut in regione ileocoecali inprimis ab aegroto sentiuntur raro acerbi sed obtusi et plerumque de iis non queritur nisi manus imprimis. Dolores in abdomine tum non sentiuntur[1]), si sensorium valde laesum est. In aliis quoque partibus interdum sentiuntur dolores, in membris, in dorso, in cervice. Saepe nunquam dolores percipiuntur. Febris sub finem huius stadii magis magisque asthenicum characterem offert.

Symptomata consensu provocata saepissime affectionem pulmonum comprobant, quapropter tussis exoritur sicca, respiratio sonora non tamen impedita, sputa vulgo rara, pellucida, tenacia.

Stadium secundum. Symptomata fere eadem, sed omnia graviora magisque distincta evadunt. Horripitationes calorque invicem succedentes, quae ab aegroto per aliquot dies sentiebantur, plerumque inopinato in frigus satis vehemens abeunt, quod calor siccus et urens sequitur. Aegrotus praebet habitum asthenicum, facies est valde collapsa squalido-rubra, cinerea, oblonga, nasus acuminatus, oculi sunt conditi fractique, situs passivus, plerumque supinus, tonicus organicus sublatus. Pulsus frequentes sunt aut interdum tardiores, molles, parvi et generatim

---

1) Schoenleins klinische Vorlesungen herausgegeben von Guterbock., Berlin 1842. p. 74.

quoad rhythmum regulares, sed semper faciles suppressu, saepe etiam inveniuntur subduri et contracti, si inflammatio erythematosa adest aut magis extensa aut mesenterium affectnm est. Cutis aspera, sicca, occlusa et interdum vera siccitas pergamena observatur; modo in capite et pectore nonnunquam sudores prorumpunt glutinosi et sine ullo morbi levamine. Urina aut copiosa, aquosa, limpida aut cruda, parcior, rubescens. Temperatura cutis adaucta, color ardens mordax sentitur. Capitis obtusio, ante aures auditur susurrus, ante oculos apparent scintillae. Magna est virium prostratio deminutioque. Aegrotus surgere aut sese movere vix potest, coactus contemescit, pallescit animoque derelinquitur. Simul pulsus frequentissimi, parvi, suppressi, ut eos interdum vix sentias. Dies insomnes et inquieti; somnia ad deliria exaltantur et interdiu quoque comparent, attamen die plerumque quiddam conscientiae adest. Quae deliria sunt placida, abmurmurantia, suppressa, et aegrotus plerumque facile sola allocutione ex deliriis excitari potest. Huxham p. 80. hanc de illis deliriis descriptionem facit: »delirium hoc raro est violentum, sed quasi mentis actionumque videtur esse confusio, cum perpetuo sibi ipsis obmurmurent et inter verba desipiant, nonnunquam tantum expergiscuntur perturbati et confusi et subito sui sunt memores, sed mox in obmurmurationem iterum recidunt.« Mira est oblivio aegrotorum. Interdum erethismus

cerebri et tum tendinum subsultis et carpologia praeteriens apparet. Lingua tremens, quae et nunc pura esse potest, paulatim pituita obspurcatur, postea subfusca et sub finem huius stadii linguae radicem subnigram videmus, siccam, fissam, aridissimam et laterum margines subfuscas. Dentes obtecti muco tenaci subnigro. Labia plane sicca et fissa. Nares saepe obturatae, quasi fumo nigricantes, fuliginosae. Sitis est plerumque exigua, nonnunquam vehemens. Gustus malus nec unquam appetentia ciborum. Affectiones gastricae perdurant, abdomen compressione alta dolet, angor in praecordiis et saepe dolor per totum abdomen extensum maxime in regione ileocoecali vehemens est, sed nunquam de eo aegrotus queritur. Ex dolore absente non in absente affectione intestini concludi, adhortandum est. Diarrhoea maxime ab initio aut tamen in decursu huius stadii reperitur. Extretiones alvi plerumque aquosae, pituitosae, foetidae vel etiam, quod peius est subrubrae.

Praeter symptomata denotata interdum in hoc stadio magis conspicua fit affectio pulmonum. Apparet oppressio pectoris, difficultas respirandi, tussis, gemitus et auditur ronchus sonorus crepitansque. Quae affectio saepe tam inopinoto et frequenter exoritur, ut Wiliam Stokes dicat, ut nunquam medicus ad aegrotum in typho laborantem sine thetoscopo accedat. Interdum laryngitis sese ostendit.

Stadium tertium. Hocce stadium accurate quoad tempus determinari non potest. Symptomata nervosa superant omnia, quae antea commemoravimus. Morbi imago est haec: Facies deformis, squalido-pallida, cadaverosa ipsa paulatim fit hippocratica, oculi hebetes fiunt subsiduntque, macies corporis est insignis. Tanta est virium prostratio et musculorum infirmitas, ut aeger corpus movere non possit et quietus fereque rigidus supinus semper et sine ullo motu iaceat. Corpus fere plumbeum ad pedes devolvit; manus ablevatae veluti paralytae recidunt. Pedes e lecto aegroti prodendunt, in lecto deorsum ad pedes delabuntur, strangulam non patiuntur et crura divarcicant. Sine ulla voluntate et conscientia aegri urinae et faecum oriuntur secessus; interdum retentio urinae adest. Nobis occurrit perceptio et psychica et corporea penitus sublata; observamus somnolentiam, stuporem, soporem, typhomaniam simul deliria mussitantia; aegroti perceptione conditionis suae plus minusve carent. Raro subsultus tendinum, tremor, carpologia et deliria furibunda aut stupor perfecta observantur. Saepius symptomata characterem deminutae activitatis atque perceptionis cum magno vitalitatis organicae collapsu coniuncta, in quibus laesam substantiae nervorum integritatem et principii nervosi defectum iure suspicari potest. Cuncta sensuum organa hebetata; aegrotus surdus, lux oculus non amplius afficit. Arteriarum pulsus

nunc frequentissimi, ita ut centum et viginti superent ictus, debiles, tremulantes, interdum capricantes, intermittentes saepe retardati usque ad quinquaginta ictus. Cutis sicca, pergamena, cuius calor sentitur mordax, in facie et membris frigidi, foetidi, viscidi sudores erumpunt. Urina turbida interdum intense opaca, haud raro dissoluta. Tunicae mucosae maximopere ardent. Lingua sicca, fuliginosa, fissa, saepe quasi corrugatur. Dentes obspurcati muco tenaci, glutinoso nigricanteque. Labia sicca et fissa. Linguae compotes non sunt aegroti; deglutire non valent et ubi aliquid deglutiant, non aliter id perspicimus, ac si in cadum cavum decidat. Respiratio est brevis stertensque. Abdomen collapsum et molle aut meteorice tumidum, quod saepe celeriter fit. Dolor abdominis ab aegroto non percipitur, impressione alta autem provocatur risus sardonicus, faciei musculorum spasmus, gemitus. Diarrhoea saepissime persistit, quin adeo haemorrhagiae intestini incidere possunt, quae nunc sunt modicae, nunc vehementes. Excrementorum partes sunt aquoso-sanguinolentae, foetidae, cadaverosae et floccis albidis commixtae; interdum alvus est obstructa. Crystalli a Schoenlein et Boehm in faecibus inventi, signa pathognomonica omnino repudiandi sunt. Auctore Schoenlein faeces supra dictae albumen et calcariam phosphoricam continent. Huc accedunt plerumque symptomata sanguinem omnesque humores putredine cor-

reptos comprobantia, ut haemorrhagiae, petechiae, decubitus, miliaria, quae non semper, si morbus ad valetudinem secundam inclinat, erumpunt.

Decursus.

Morbus, cuius symptomata supra exposui, hominem plerumque non nisi lente obrepit lenteque progreditur, saepe quoque inopinata eius accessio; igitur morbum saepe prodromi antecedunt, raro desunt. Prodromis antecedentibus saepissime turbata est digestionis et nutritionis functio, animus praeterea marcet, loqui et moveri aegrotum piget, corpus torpet, interdum dolor praecordiorum, capitis obtusio, somnus non recreans, quae signa instantis adversae valetudinis vel per aliquot dies, vel etiam per plures hebdomades animadvertuntur, donec morbus altius provectus, cum symptomatis distinctioribus incidit. Morbus certo temporis spatio plerumque finitur et quidem decurrit usque ad undevigesimum diem, priusquam symptomata critica apparent; multae vero sunt anomaliae, ita ut morbus iam quarto decimo die, sed nunquam prius ad exitum adducatur; item accidit, ut interdum usque ad vigesimum et octavum diem et longius perduret. Multum valent in decursu morbi complicationes, extensitas affectionis

localis, gradus influxus debilitantis in processu vitali, constitutio aegroti et alia eiusmodi. Prodromi maxime indefiniti et mutabiles. Chomelio auctore fuerunt saepenumero, qui nulla aegritudine correpti usque ad diem illum, quo morbus subito exarsit, omnibus negatius sine ulla molestia fungerentur.

Si morbus ad secundam valetudinem revertitur, omnino symptomata diminuuntur plerumque per lysin raro per crysin.

Miliare exanthema saepe adest, lingua et tunica mucosa oris et narium humescunt, interdum lingua quoque est in normali conditione, status morbus autem est pessimus. Sopor transit in placidum et tranquillum somnum, ex quo aegrotus sui ipsius compos expergiscitur. Aegrotus mutat situm omnesque corporis motus sunt faciliores. Cutis arrida et sicca levi sudore mollescit, pulsus nunc minus frequens et pleniusculus. Diarrhoea minuitur et excrementa foeculenta nunc colore magis flavo et meliore consistentia apparent. In urina saepe apparet sedimentum, in universo vero illa critica non est. Aegrotus quidem collapsus et debilitatus, sed in convalescentia est, in qua secundum Schoenlein[1]) et alios observatores saepe inclinatio manutigii struprandi restat. Per longum tempus saepe remanent memoria debilis, Dyscoia, inclinatio ad deliria, animi quaedam

1) Schoenleins klinische Vorlesungen, herausgegeben von Güterbock. Berlin 1842. p. 28.

affectio mollis. — Diiudicatio si non apparet, aut est incompleta, sequitur febris nervosa lenta. Ulcera stadio nervoso exorta saepe efficiunt per aliquod tempus diarrhoeam malignam supra memoratam. Typhus saepe transit in metastases, ut in parotitidem, bubonem inguinalem, abscessus telae cellulosae.

Morbi secundarii, qui hoc ex morbo saepe proveniunt et saepius mortem secum trahunt, hi sunt: tabes nitens statu organico gangliorum mutato, affectione mesenterii praecipue glandularum, privatione villorum et folliculorum [1]) et abundantia nitrogenii in urina [2]); hydrops; paralyses singularum partium; phthysis pulmonalis et intestinalis.

Exitus lethalis timendus est, si aegrotus sub finem morbi sine motu supinus iacet, maxilla inferior dependet, cutis remanet sicca et mordax, pulsus frequentissimi, parvi, molles, sub digitis repunt, partesque corporis extremae fiunt frigidae. Stupor summum assequitur fastigium. Respiratio est difficillima et stertens. Alvi deiectiones et urina invite profluentes etiam dissolutionem denunciant.

Hoc vel illo modo aegroti e vivis tolluntur, tum totius organismi debilitate, tum sphacelo, tum enterobrosi, tum morbis secundariis et lateralibus.

---

1) Baumgärtner, Krankheits- und Heilungslehre. Seite 94. und 95.

2) Schoenlein, klinische Vorlesungen. Seite 69.

Hae mutationes pathologicae in cadaverum dissectione typho gastrico defunctorum sunt repertae:

1) in sectione abdominis. Iam ipsa incisione nobis rubor sordidus musculorum obviam venit; intestina meteorice tument; tunica oesophagi, ventriculi et intestinorum tenuium plus minusve rabefacta et in intestinis saepe cum muco bilioso obtecta est. Nonnunquam est rubor valde plenus, interdum tantum diffusus, tum quoque cum spacelo commixtus. In tunica mucosa etiam ventriculi interdum massa pseudomembranosa animadvertitur. Affectiones glandularum mites semper inveniuntur, sed non ulcera Berndt[1]). Similia ab aliis pathologis observata sunt, ut a Rokitansky[2]), qui ea ad anomalias localis processus thyphosi adnumerat, quin adeo loquitur auctor de rarissimis observationibus, ubi affectiones intestinorum omnino deerant et aut aliae tunicae mucosae affectae erant, aut processus typhosus sine ulla localisatione decurrebat. In nonnullis sectionibus in clinico Gryphico duce ill. Berndt institutis reperta sunt haec signa: intestina tenuia aëre expansa, in variis locis extrinsecus perlucida sese ostendebant, a tunica mucosa in magna extensione nullum vestigium restabat et sola tunica serosa erat

---

1) Berndt, klinische Mittheilungen Heft III. u. IV. S. 157. Heft I. u. II. S. 33 u. 39.

2) L. c.

integra. In aliis casibus reperiebatur tunica mucosa varie malaxata et emollita mucoque sordido obtecta sine ullo rubore et interdum membrana mucosa omnino sana apparebat. Saepissime et fere constanter hae mutationes simul cum sequentibus inveniuntur. In intestinorum tenuium superficie externa maculae sordido-rubrae perspiciuntur et internae illorum membranae in illis locis magoribus minoribusque protuberantiis et ulceribus, prout morbus perduravit, obductae videntur. Processus mutationum in tunica mucosa, e quo ulcera oriuntur, a pathologis varie significatur ab Heysinger fungis, a Schoenlein et aliis axanthemate, a Stiebel erysipelate, ab Eisenmann processu carbunculoso ab aliis aliis; a plurimis inflammatione folliculorum hoc tempore comprobatur. Quae inflammatio in variis formationis stadiis gradibusque versatur; tribus tadiis auctore Billard[1]) comprehendi solent. Stadio primo rubor et intumescentia obvius; ille varius est, prout inflammatio tunicam mucosam primum vel folliculos corripit. Si prior correpta est, color, vel maculosus, vel striatus, modo laete ruber, modo lividus, glandulae ambitum non multum transgrediens, tumescentia exigua; simul ut inflammatio profundius, ad folliculos ipsos transierit, rubor magis progreditur, intumescentia augetur. Quum

---

1) Billard: de la membrane muqueuse gastro-intestinale dans l'etat sain et inflammatoire. deutsch. v. Urban. Leipzig 1833.

vero folliculi primitus inflammati sunt color ex rubro subniger, totusque plexus folliculorum halone circumdatur inflammatorio. Secundo stadio basis cuiusque plexus tumentis rubentisque magis extenditur, ita ut plexus hoc modo affecti inter se sensim iungantur. Priusquam autem hoc fiat, massa sub ipso plexu folliculorum in tunica vasculosa secreta reperitur, maxime singularis, a qua semper, sive folliculi prius affecti sint, sive tunica mucosa, inflammatione crescente emollitio plexuum intestinalium vel glandularum Peyeri inflammatarum nascitur, ideoque glandulae una cum tunica mucosa attoluntur, ita ut fungorum instar in intestinum promineant. Tumores apicem ulcerando impressum accipiunt, ad variolarum similitudinem quodammodo accedunt et massa puriformi evacuata escharae nascuntur. Stadio tertio ulcus apparet. Forma ulcerum secundum Chomel[1]) generatim duplex est: altera telam mucosam, quae ulceris marginem constituit, tenuem, albescentem, cum fundo ulceris cohaerentem praebet. In fundo ipso ulceris exiguae occurrunt granulationes. Alterius formae ulcera margines habent elatos ac praecisos, telaque et mucosa et cellulosa condensata mucosa rubra et hypertrophica apparet. Sunt autem haec ulcera ea, quae interdum intestinum perforant.

Rokitansky[2]), cuius observationes hoc tem-

1) Chomel's Vorlesungen über das Typhusfiber. I. Lieferg. p. 47. 87.

2) L. c. p. 214.

pore accuratissimae habentur, quatuor stadia processus typhosi in membrana mucosa intestini distinguit.

1) Stad. congestionis. Observantur in membrana mucosa praecipue in ea parte, quae tendet ad valvulam Bauhini, status dilatationis stasisque in vasis venosis intumescentia succulentiaque insignis membranae mucosae; membrana ipsa est turbida et colore subcano. Superficies interna intestini strato spisso succi, subflavi, gelatinosi est obtecta.

2) Stad. inflammationis typhosae. Glandulae Peyerianae, Brunerianae et solitariae intumescunt, (typhöse Plaques) ita ut ex membranae mucosae superficie exstent. Margo glandularum hac occasione praecipue intumescit prominensque fit super basin. A membrana mucosa hice tumores per aliquod tempus integra obducundur. Glandulae Peyerianae hoc tempore formant tumores oblongas aut teretes, marginibus praecipitibus e membrana mucosa ascendentibus. Glandulae solitariae apparent tumores lentis magnitudine et massa subalbida infiltrati.

3) Stad. metamorphoseos, pseudoproductionis s. stadium crustationis et ulcerationis. Vasis venosis membranarum intestini denuo se implentibus, et in glandulis Peyerianis, et solitariis massa deposita liquescit et emollit. Superficies exuitur locusque crusta crassa, subviridi aut pulla, quem colorem a faecibus accipit, obtegitur.

4) Stad. ulceris intestinalis strictori sensu. — Tandem haec crusta partim aut omnino solvitur et restat elipticum, in axi longitudinali intestini situm, aut exiguum subrotundum ulcus. Ulcera saepe sunt tam frequentia et magna, ut membrana interna intestini ilei hisce destructa sit, saepe e contrario sunt perpauca et tam exigua, ut vix animadverti possint.

De tempore, quo singulae mutationes oriuntur, scriptores nihil certum se cognitum habere confitentur. Chomel[1]) quidem e nonnaginta duobus casibus ab ipso et Luis observatis hance summam subduxit: inter morbi dies octavum duodecimumque, ad summum quintum decimum membranae mucosae, qua glandulae tumefactae obducuntur, ulcerationem incipere. Plerumque in iis glandulis, quae coeci valvulae proximae sunt, et haud raro quidem in superiore eius facie incipit et in reliquas hac via paulatim transit. Plerumque ulcera intra extremos 18—20 ilei digitos, crebro etiam, vel ubi non supra tria quatuorve ulcera sunt, semper fere intra eiusdem sex ultimos digitos sedent. In crassioribus intestinis rectum versus frequentia decrescunt. Sanatio ulcerum incipit Chomelio testante demum morbo penitus exstincto, nunquam ante trigesimum tertium diem. Ulceris ad cicatrisationem tendentis margines fiunt plani fundusque vicissim ad margines accedit, in medio autem ulcere per aliquod temporis spatium asperitates quae-

1) L. c.

dam cernuntur. Post sanationem membrana nascitur. Andral[1]) membranam mucosam vere et proprie renatam, Luis contra hanc membranam tunicae serosae similiorem esse censet, atque eadem sententia est Rokitansky. Cicatrices cernuntur specie macularum nigricantium, laevium villis carentium Berndt. Memoratu dignum est, typhosa ulcera cicatrice iam obducta vel acceptura cicatricem non nisi in extremo tenui intestino prope valvulam coeci, nunquam contra aut in superioribus duobus illi trientibus, aut in ieiuno offendi secundum Chomelium. Ulceratio si post membranam muscularem iam destructam intestini peritoneum quoque incesserit, intestinum perforatur.

Porro in abdomine inveniuntur saepissime mesenterium et glandulae mesenteriales inflammatae tumefactaeque. Berndt, Luis[2]), Baumgärtner[3]) et alii. Nunquam autem haec inflamatio glandularum in apertam ulcerationem transit. — Lien et hepar decoloratum et varie emollitum secundum Berndt, Rokytansky, Lesser; vesicula fellea plerumque est impleta; fel saepe fluidum, aquosum saepe omni pigmento. Rokitansky.

b) Membrana mucosa pulmonum fere semper rubefacta apparet et quidem a divisa illa trachea usque ad ipsas bronchias Berndt, Baumgärtner,

---

1) Pathologische Anatomie übers. von Becker 1830. Bd. II. p. 68.

2) Luis affection typhoide vol. I. p. 449.

3) L. c.

Schoenlein, Rokitansky et alii. Pulmones sanguine saepe inplati, partim splenisati et hepatisati sunt. Rokitansky.

c) Si cerebrum graviter erat affectum, eius parenchyma et membranae sanguine inveniuntur tinctae et superfusae, substantia ipsa interdum emollita, nunquam crassa Andral, Schoenlein, Rokitansky.

d) Nervi. Testante Rokitansky saepenumero reperitur plexus solaris tumescens pariter ac nervorum ganglia illa, quae cum hoc intime coniuncta sunt, aut sanguine tinctus rubor, praecipue si mors eo incidit tempore, quo morbus summum adeptus est fastigium, aut magis albus, collapsus, flaxidus, darus. Similia referunt Schoenlein[1]) et Balling[2]).

Aetiologia. Obscura adhuc sunt momenta illa, quae istum morbum tam gravem in lucem proferunt. Indagatio enim morbi accurata et observatio docuit, eum interdum tam crebro occurere tantamque hominum multitudinem infestare, ut nec epidemica eius constitutio, nec ortus eius contagiosus in dubium vocari possit. Saepius vero non nisi constitutione annua et tempestatis favente obvenit. Ineunte vere vel extrema hieme, saepius etiam auctumno, quem aestas arida antecessit, potissimum increbescere solet. Praesertim regiones paludosae, valles circumcinctae, humida et humido-frigida tempestas, concu-

1) L. c. p. 23.
2) L. c. Band XVI. Heft 2.

bernium vivium, nutritiones, labores et inopiae homines ad morbum proclives reddunt [1]). Praedispositio ad hunc morbum exigua est usque ad pubertatem. Cum pubertate crescit haec dispositio usque ad aetatem virilem, abs qua rursus deminuitur, quamquam nulla vitae aetate plane absit [2]). Sexus uterque pari modo afficitur. Secundum Rokitansky [3]) absolutam fere immunitatem contra typhum graviditas praebet, minus lactatio; rarissima cum tuberculosi, cyanosi, carcinomate et cachexia carcinomatosa se coniungit, libenter contra cum syphili et gonnorrhoea.

Causae occasionales huius morbi refrigerium et diaeta, quoad cibus [4]) et potus [5]); praeterea contagio morbus provocatur constitatione stationaria gastrica et dispositione individuali favente. Quod contagium magis in lecto, vestibus, corpore se continet et raro teansportatur, quo differt a contagio typhi petechialis, bellici.

Diversissimae opiniones de causa proxima huius morbi exsistunt, quas omnes persequi vellem, si nimis ampla materies mihi non esset pertractanda. In universum igitur potissimas annotare sufficiat. Multi medici praecipue Francogallici, morbum pri-

---

1) Berndt's klinische Mittheilungen Heft II. Seite 27 u. 299.
2) Cowan: Statisties of fever and small-pox in Glasgw, by Cowan, Glasgow 1827.
3) L. c. p. 249.
4) Baumgärtner L. c. p. 95.
5) Rau Darmst. 1829 p. 68.

mitus inflammatione glandularum membranae mucosae intestinalis [1]), aut aliarum partium abdominis [2]) niti; alii, affectionem localem esse secundariam, ab secreto tunicae mucosae provocatam; plurimi, febrem typhosam eadem causalitate uti atque affectionem localem, censent.

Observatio accurata constitutionis morborum sic dictae stationariae eiusque praesertim, quae per sedecim annos viget, scilicet constitutionis stationariae gastricae, in eam induxit scriptores sententiam atque prae ceteris ill. Berndt [3]), morbum prodire a constitutione gastrica, tam intensa et singulari modo modificata, ut sanguinem et systema nervorum quasi toxicet. Si considerantur symptomata et causae, dubitari nequit, quin haematosis morbosa et laesio qualitativa vitalitatis systematis nervorum praeprimis gangliorum exsistat. Quae alienatio sanguinis physice et chemice demonstrari potest. Sanguis vasis emissus liquidior iusto est, crustam formandam non admittit et atro subrubro colore est. Andral et Gavaret [4]) in viginti hominibus fribrinam minutam invenerunt et directa quidem proportione ad morbi periculum, saepe usque ad $^1/_{1000}$ ($^3/_{1000}$ numerus medius positus). Praeter hanc fibrinam minutam ab-

---

1) Examen des doctr. med., prem. exam. Brussais.

2) v. Pommer: Zur Path. des Verdauungskanals. Heidelb. klinisch. Annal. Band. II. Heft I.

3) Berndt, l. c.

4) Baumgärtner L. c. p. 93.

undantia carbogenii et hydrogenii invenitur et minutio salium in sanguine [1]). Abundantia globulorum sanguinis non solum relativa ad copiam fibrinae, sed absoluta est [2]). — Cura sic dicta antigastrica cum methodo excitanti coniuncta semper primo et secundo stadio summa utilitate est.

Huc accedit morbum nostrum una cum constitutione morborum gastrica vel increscente, saepius rariusve occurrere, saepissime vero morbo incipiente symptomata gastrica existere. Quod maxime ad refellendam sententiam scriptorum confert, qui a sola inflammatione glandularum febrem typhosam progredi censent, est pro multis aliis causis observatio deducta a sectionibus cadaverum, inflammationem non semper inveniri. Secundum sententiam ill. Berndt, quae extra omnis dubitationis aleam poni quidem non potest, tamen verisimilitudinem quandam sibi vindicat, partes morbum conformatum constituentes sunt:

1) Diathesis gastrica cum secretione gastrica, substantias continens, quae vim vitalem nervorum vegetativorum minuit et receptione in vasa lactea et glandulas meseraicas infectionem et irritationem earum aeque ac membranae mucosae efficit, tum in sanguinem transit eum magis etiam inficiens. — 2) Affectio tunicae mucosae intestinalis in variis

---

1) Schoenlein's klinische Vorlesungen von Güterbock. Berlin 1842. Seite 18. und 20.

2) Baumgärtner, l. c. pag. 93.

gradibus praecipue inflammatio et folliculosa quidem saepissime intestinorum tenuinum. — 3) Laesio qualitativa systematis nervorum, partim a noxa morbi et mixtura sanguinis aliena, partim ab actione secreti in tunicam mucosam, partim ab affectione plexus solaris dependens. — 4) Febris ab initio plerumque sthenica, mox cum collapsu sanguinis et inclinatione ad anorganicum chemismum apparens.

Diagnosis. Diagnosis in morbo conformato nunquam esse ambigua et a medico cum alio morbo confundi potest, cum symptomatis eximie ab aliis distinctus sit. Ineunte vero morbo recte vereque constitui fere nequit, nisi contagio demonstrata est; praesertim difficillima est diagnosis, si morbus lente invadit. Status gastricus primum apparere solet et medicus, quamvis haud ignarus nec temerarius saepe nihil aliud praeter illum suspicabitur. Ubi defectio vel prostratio virium maiori in gradu adest, macies corporis conspicua, facies totaque corporis cutis pallida, habitus collapsus, digestio valde laesa, dolor capitis obtusus, vertigo, incessus vacillans, coenaesthesis valde laesa, horripilationes per diem imprimis sub vesperam, vel etiam febris etc. obviae sunt, si aegrotus surgere coactus, pedibus stare fere nequit, vacillat, pallescit, queritur de vertigine caduca, de obscuratione oculorum, de tinnitu aurium, vehementer cubitum petit vel corpus lecto applicat, pulsus nunc molles, frequentissimi, vacui fiunt et dolor in abdomine

praecipue in regione ileo-coecali obtusus sentitur; morbum certitudine quadam suspicari aut cognoscere fere licet. Chomelius, nisi symptomata ambigua febris typhosae adsint, diagnosin caute et non prius certe proponere monet, quam ex symptomotum complexu, eorum duratione, quae plerumque decem circiter et duodecim dies explere debeat, sicuti ex eorum serie summam verisimilitudinem consequatur. Exanthema in cute signum morbi semper praesens et primarium non habendum est.

Prognosis. Satis inter medicos constat, typhum gastricum magnum vitae affere periculum maioremque numerum eorum, quos aggressus sit, interire, proptereaque ex omnibus, quae adhuc factae sint, observationibus, exitum eius valde dubie praesagiendum esse. Attamen prognosis in hoc morbo melior est, quam in plurimis speciebus typhi. Quoad prognosis specialis, partim a gradu influxus toxicationis, partim a formatione affectionis localis derivanda est. Natura medicatur morbum ipsum, dum post decursum definitum exuit. Si quoque ars medendi activa non instituenda est, negari non potest, haud parvum esse numerum eorum, quorum vita, typho gastrico imminuta, et vi naturae medicatricis, et medicorum auxilio rationeque mortis laqueis erepta et sustentata sit. De signis, quibus mors certissima redditur et de iis, in quibus aliqua salutis spes inest, supra loquutus sum. Praeterea tempus auxilii, ratio

curationis, frequentia naturaque diarrhoeae, habitus abdominis, constitutio corporis, vitae gestae ratio, conditiones externae, combinationes et complicationes magnum afferunt momentum ad meliorem peioremve morbi exitum praesagiendum. Desiderandi sunt porro morbi secundarii, qui in quibusdam epidemiis praevalent.

Cura. Morbus definitum decursum facit; quare non cura directa et ars medendi non activa. Quae in cura inprimis observanda, haec, breviter exposita, sunt:

1) Magnitudo aequabilitasque processus vitalis, quae ad decursum necessariae sunt, servari debent.

2) Critica naturae studia sublevanda et affectiones locales tunicae mucosae respiciendae sunt, ne degenerent.

3) Complicationes, combinationes et casus periculosi sunt removendae.

Quae momenta ex magnitudine gravitateque morbi et ex stadio iudicanda sunt. Ineunte morbo complicatio cum statu gastrico tollatur necesse est. Quod optime efficitur emetico ex pulvere Radix Ipecacuan. non ex pulvere Tartarus stibiaticus. In stadio gastrico crisis gastrica leniter incitatur, quare Kal. tartaric., Kal. acet., Kal. citr. etc. adhibenda sunt, sed haec remedia si dantur involvenda et solvenda sunt mucilagine vel decocto mucilaginoso, ex. gr. decocto Graminis, ut acrimonia mate-

riarum in intestino praesentium mitigetur. Potui vel emulsio Semin. papaveris vel amygdalarum dulcium inservient. In gravi casu calomelanus adhibendus est ad secretionem hepatis et intestini augendam. Quod detractiones sanguinis attinet, venaesectio nunquam fere est necessaria; plerumque hirudines sufficiunt, quae iis potissimum locis applicandae sunt, ubi dolor imprimis sentitur. In stadio nervoso aut si febris est synochus, emulsio oleosa cum camphora optimo successu porrigenda est. Praeter camphoram Rad. Valerian., Serpentar, Liq. ammon. acet. sunt remedia haud aliena. Porro porrigendum est aqua cum acid. muriat., et aliis acid. mineralibus et vegetabilibus. Praeterea balnea calida salutaria sunt, quae semel aut bis per diem usitanda sunt. Quo major defectio virium apparet, eo maiori quantitate adhibeantur remedia excitantia et nervina. Camphorae nunc commode aetheres, ammon. praeparata, inprimis Liq. ammon. succin. vinos. admiscentur. Balnea calida nunquam hoc morbi stadio negligenda sunt. Accedit usus lotionum ex vino calido, vel spiritu Angelic. composito. Abdomine valde tumescente Ol. Terebinth. cum Liq. ammon. caustico et camphor. infrigendum. Praeterea sinapismi suris et vesicantia abdomini ad derivandam inflammationem imponere medici suadent, sed saepe sphacelum cutaneum efficiunt.

Quando morbus gravibus excellit capitis doloribus nunquam sanguinis detractiones scilicet locales

in primis stadiis ommittendae et epitematis ex aqua frigida aut glacie paratis caput foveas. Maximo successu adhibentur superfusiones frigidae in caput, dum aegrotus in balneo calido inest. Si cutis arrida et sicca invenitur, lotiones cum aqua frigida vel cum aqua et aceto, sicuti superfusiones frigidae nunquam negligendae sunt. Si autem Mesenteritis et inflammationes nobilium organorum adsunt, caute aut nequaquam instituendae sunt.

Diarrhoea primo stadio exorta gastricae instar apparet, nec magni esse solet momenti. Si nimis profusa evadit, ei optime remediis involventibus, cum narcoticis, imprimis cum nuc. Vomic. medemur. Si forte, quod interdum accidit, diarrhoea ab inflammatione tunicae mucosae intestini crassi pendet, inflammatio est mitiganda; diarrhoea aquosa vel sanguinolenta, profusa, foetida, stadio secundo aut tertio orta, exulcerationem comprobare, dicitur. Est haec diarrhoea semper domnosa et difficuter removenda. Remedia commendata sunt haec: mucitaginosa cum nuc. Vomic. cum opio, et adstringentia ut Colombo, Ratanha, zinc. sulph., ferr. sulpharic., praesertim plumb, acet.

Aegrotis convalescentibus Inf. Angelic., cui Tinct. aromatica et Tinct. Calami addi possunt, commode datur; diaeta caute restaurans leniter organa digestionis stimulare debet. Concoctioni ciborum, remediis aromaticis et amaris adhibitis optime suc-

curitur, vinum generosum hauriatur; e remediis roborantibus Chinam prae ceteris adhibeas. Diaeta sit restaurans et nutriens per longum tempus adhibenda. —

Vita.

Ego *Henricus Iosephus Schüth*, fidei addictus catholicae, natus sum Harthii, qui est Guestphaliae prope Büraniam pagus, a. MDCCCXVIII. patre optimo *Ferdinando* et matre carissima *Bernadina* e gente *Kraft*, quem utrumque superstitem pio gratoque animo veneror. Postquam primis litterarum elementis imbutus sum, per sex annos Gymnasium Paderbornense, quod Directore ill. *Gundolf* floret, frequentavi. Testimonio maturitatis in Gymnasio Recklinghusiae, quod Directore ill. Dr. *Stieve* florebat, munitus tempore paschali MDCCCXXXVIII. Monasterium adii et a Rectore Magnifico ill. beat. *Schlüter* adscriptus civibus academicis, nomen meum apud ill. *Esser* spectatissimum ordinis philosophorum decanum rite professus sum. Hae sunt, quas audivi praelectiones: Chemiam, Electro-Chemiam apud Cel. *Schmedding*; Zoologiam, Mineralogiam, Anatomiam comparatam nec non Botanicen apud ill. *Becks*, quem praeceptorem in excursionibus botanicis quoque secutus sum; Physicam et Athmosphaerologiam apud ill. *Roling*; Logicen apud cel. *Schlüter*.

Eodem tempore etiam praelectionibus, quae in instituto Reg. medico-chirurgico habebantur, per tria semestria interfui. Ill. *Tourtual* de Anatomia generali et speciali, de cadaverum rite dissecandorum arte: ill. *Haindorf* de Physiologia; cel *Wirthensohn* de Pathologia et Therapia speciali; cel. *Klatten* de chirurgia; exp. *Bernay* de diaetetice, de arte formulas medicaminum rite concinnandi; cel. *Riefenstahl* de rebus anatomicis et chirurgicis.

Tempore auctumno MDCCCXXXIX. almam universitatem Gryphicam petii, cuius inter cives receptus ab ill. *Grunert* t. t. fasces acdemicas tenente, a *Seifert* Decano spectabili gratiosi medicorum ordinis in album relatus, per octo semestria audivi diserentes: ill. *Schultze* de Anatomia, de Physiologia, de Anatomia pathologica; ill. *Seifert* de materia medica, de arte fascias rite alligandi, formulas medicaminum rite concinnandi, de Pathologia generali de Semiotice, de Medicina forensi, de Politia medica; ill. *Berndt* de Therapia generali, de Pathologia ac Therapia speciali, de morbis phychicis et infantum, de arte obstetricia; ill. *Stiedenroth* de Psychologia; ill. *Hornschuch* de Zoologia; Reat. *Kneip* de Chirurgia generali et speciali, de Akiurgia, de ossium fracturis et luxationibus, de ophthalmiatrice. — Idem ac cel. *Laurer* duces mihi fuere in exercitationibus operationum chirurgicarum in cadavere instituendis; exp. *Berndt* iun. de morbis pectoris simul cum exercitationibus ad indaganda signa physicalia. — In Clinico medico et obstetricio ill. *Berndt;* in Clinico chirurgico et ophthalmiatrico Beat. *Kneip* ac post eius obitum ill. *Berndt* et ill. *Baum* ducibus usus sum.

His igitur viris illustrissimis atque clarissimis optimeque de me meritis ex intimo animi affectu gratias habeo, quam possum maximas, semperque habebo.

Tentamine philosophico et examine medico-chirurgico Gryphiae, nec minus examine riguroso Bonnae feliciter superatis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque rite defensis, summi medicina, chirurgia et arte obstetricia honores in me conferantur.

THESES.

I. *Signis physicalibus morborum cognitionem valde adiuvari iudico, sed dissuadeo in diagnosi statuenda his solis confidere.*

II. *Ad simplicem hydrocelen curandam iniectio set operatio longe praestantissima.*

III. *Inter graviditatis signa pulsatio cordis foetalis est certissimum.*

IV. *Est congestio sanguinis.*

V. *Tres sunt sanguinis circulationes, aut si mavis una tantum.*